



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Libido quacum patentes generant, non est causa physica &
necessaria peccati originalis in parvulis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

fit illegitimum per conversionem unius conjugis, sed potius propter ejus fidem morali quadam sanctitate consecratur. Unde filii talium parentum non sunt immundi, hoc est, illegitimi, sed sancti, hoc est, legitimi. Non est igitur ad rem hic locus Apostoli.

Obj. Nemo potest transmittre id quod non habet. Sed parentes baptizati non habent amplius peccatum originale. Ergo non possunt illud transmittre ad filios. *R. dist. maj.* Nemo potest transmittre per modum causae id quod non habet, *C. maj.* Nemo potest transmittre per modum conditionis, qua posita, fit transmissio, & qua non posita, transmissio non fiet, *N. maj.* Parentes autem, etiam non regenerati, & consequenter adhuc infecti peccato originali, non transmittunt peccatum originale in filios, illud causando in filius, sed solum ponendo conditionem, quam non quidem ex natura rei, sed merè per accidens, sequitur peccati originalis transmissio. Hac autem conditio est generatio naturalis; illi enim tantum & omnes, seclusa speciali preservatione, contrahunt peccatum originale, qui per naturalem generationem descendunt ab Adamo; quia illi soli & omnes in Adamo peccaverunt, qui ab eo descendunt per naturalem generationem; eo quod illi soli & omnes inclusi fuerunt in Adamo, velut capite morali, & ita pro illis solis & omnibus peccavit Adamus. Hinc cum parentes baptizati naturaliter generent, sicut generant parentes non baptizati, tam & eodem modo transmittunt in filios peccatum originale. Sed ad plenioris praesentis difficultatis resolutionem, sit

ARTICULUS V.

Utrum libido, quacum parentes generant, sit causa transfusionis peccati originalis.

Nota, Janſenius lib. i. de statu naturae lapsae c. 6. & multis sequentibus, negat peccatum originale propagari per generationem naturalem, docetque unam causam, eamque physicam & necessariam transfusionis peccati originalis esse libidinem seu parentum concupiscentiam in usu conjugii: merum autem commentum esse pactum illud, sive virtuale, sive formale, quod à multis Theologis dicitur initium fuisse à Deo cum Adamo, ut capite morali totius posteritatis suae, atque in Ecclesia Dei incognitum fuisse ante scholasticorum tempora. Hanc autem doctrinam Janſenius mutuatus est à Luthero in Psal. 51. & à Calvino lib. i. instit. c. 1. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

Libido quacum parentes generant, non est causa physica & necessaria peccati originalis in parvulis.

Prob. Ex Apostolo Rom. c. 5. verbis jam aliàs relatis; *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hoc est, omnes homines nascuntur cum reatu mortis, quia omnes nascuntur peccatores & injusti. Omnes autem nascuntur peccatores & injusti, quia omnes secundum moralem aſtimationem peccaverunt in uno homine, nempe in primo Adam, quando scilicet comedit fructum veritum. Mortis igitur, cui obnoxium factum est genus humanum, causa est originale peccatum; originalis verò peccati causa fuit unus ille homo, qui fuit primus Adam. Igitur, secundum Apostolum, causa transfusionis peccati originalis in omnes Adami posteros non est libido, quacum concipiuntur, sed Adamus ipse, quà scilicet relatè ad præceptum de non comedendo fructu fuit morale caput eorum omnium, qui ab eo per naturalem generationem descenduri erant. Manifestè igitur contradicit Apostolo Janſenius, cum causam peccati originalis in parvulis constituit in libidine, quacum generantur.

Confirm. 1. Si duo conjuges speciali Dei beneficio generarent sine ardore libidinis, nihilominus transfunderent in prolem peccatum originale; & è contra si

duo conjuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, ut patet ex his Tridentini verbis sess. 6. cap. 3. *Nisi ex semine Ade propagati nascerentur, non nascerentur injusti: cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Unde sic argumentor breviter. Illud nec est nec potest esse causa physica & necessaria peccati originalis, quo posito, potest non esse, & quo sublato, potest esse peccatum originale. Atqui posito ardore libidinis in generatione, potest non esse; & sublato, potest esse peccatum originale. Nam in primo casu adhuc esset, & in secundo non esset. Ergo, &c.

Confirm. 2. Quia peccatum originale, saltem quantum ad formale, ut infra ostendetur, nihil aliud est aut esse potest, quam peccatum actuale Adami, quà fuit æquivalenter & aſtimativè peccatum actuale eorum omnium, qui via ordinaria generantur, & idè iis omnibus, qui via ordinaria generantur, moraliter inhaerens, eosque ita maculans & inficiens, Ergo peccatum originale est quoddam peccatum habituale relictum in posteris Adami ex peccato ejus actuali, quà fuit posterorum ejus etiam actuale peccatum æquivalenter & aſtimativè. Ergo cum una & eadem sit causa actualis & habitualis peccati, una & eadem causa est peccati originalis & peccati actualis Adami, quà nimirum fuit etiam æquivalenter & aſtimativè peccatum actuale posterorum ejus. Atqui causa peccati actualis Adami, quà fuit etiam æquivalenter & aſtimativè actuale peccatum posterorum ejus, est ipsa Adami voluntas, quà fuit æquivalenter & aſtimativè posterorum ejus voluntas. Ergo causa peccati originalis non est alia, quam voluntas Adami, quà fuit æquivalenter & aſtimativè voluntas posterorum ejus. Perperam igitur ad libidinem recurrit Janſenius.

Obj. S. Augustinus passim docet, non generationem, sed libidinem traducere peccatum originale. *R.* cum Bellarmino lib. 4. de statu peccati c. 12. S. Doctor non ita loquitur, quod velit libidinem esse causam physicam & necessariam translationis peccati originalis, sed ut significet peccatum originale traduci non præcisè per generationem naturalem; nam in statu innocentiae fuisset generatio naturalis, nec tamen fuisset tunc peccatum originale; sed per generationem naturalem ex natura corrupta, cujus certissimum indicium est ardor libidinis, sine quo etiam sanctissimi conjuges non solent generare.

Porrò S. Augustinus nunquam potuit sibi planè satisfacere circa translationem peccati originalis, ut patet ex lib. 5. contra Julianum c. 4. ubi circa questionem hanc mentem suam exponit: *Aut utrumque vitium ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vase vitiatum corrumpitur: ubi occulta justitia divinae legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius discō, quam dico; ne audeam docere, quod nescio.* Quorum verborum hic sensus est; Aut utrumque, nempe corpus & anima, vitiatum trahitur secundum sententiam eorum, qui tenent non solum corpus, sed etiam animam ex Adamo per generationem traduci: aut alterum in altero, nempe anima in corpore tanquam in vase vitiatum corrumpitur. Primum autem nunc dici non potest; cum nunc omnino indubitatum sit animas à Deo creari. Secundum ergo dicendum est, neque ut dicatur recurrendum est ad libidinem, tanquam causam physicam & necessariam peccati originalis. Itaque anima in corpore vitiatum per habitalem rebellionem concupiscentiae, vitiatum, quatenus macula peccati originalis non inficitur, cum à Deo creatur, sed cum per unionem cum carne ex Adamo tracta efficitur pars hominis; tunc enim primum existit homo, qui Adami filius est, & hoc ipso quod filius est Adami, peccati illius reus est, eoque proinde non solum secundum corpus, sed etiam & potissimum secundum animam maculatur. Igitur anima pro illo priori rationis, pro quo creatur à Deo, non corrumpitur, quia pro illo priori nondum est hic homo, ac proinde nondum est hic

hic filius Adæ: at corrumpitur pro illo posteriori rationis, pro quo infunditur corpori, eique coniungitur; quia pro illo posteriori jam est hic homo, hic filius Adæ, ad quem peccatum Adæ pertinet, & quem peccatum Adæ inficit & maculat, donec ei per baptismum aut alia via condonetur.

ARTICULUS VI.

Quid in Ecclesia hætenus constitutum fuerit circa immaculatam B. Virginis Conceptionem.

Resp. Sixtus IV. an. 1476. Constitutionem edidit, quæ incipit, *Cum præexcelsa*, ubi immaculatam B. Virginis Conceptionem devotè celebrantibus concedit eandem indulgentias, quas Urbanus IV. concesserat devotè celebrantibus festum Corporis Christi. Dignum, inquit, quin potius debitum reputamus universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo... de ipsius immaculata Virginis mira conceptione gratias & laudes referant, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas & alia divina officia dicant, & illis intersint, indulgentiis & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant Virginis meritis & intercessione, divina gratia aptiores. Hac igitur consideratione ducti, ejusdem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, auctoritate apostolica, hac in perpetuum valitura Constitutione statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli Christi fideles utriusque sexus, qui Missam & officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriose, juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenfis Notarii nostri, & quæ desuper a nobis emanavit, Missa & officii hujusmodi institutionem in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devotè celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam & peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicitis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbata, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam & horas Canonicas in festo corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi a primis Vesperis & per illius octavas juxta Romanam Ecclesiam constitutionem celebrant, dicunt, aut Missa officio, & horis hujusmodi intersunt.

Idem Sixtus IV. an. 1483. alteram edidit Constitutionem, quæ incipit, *Grave nimis*; ubi sic loquitur: *Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemerata semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super eo officium ordinaverit; nonnulli, ut accepimus, diversorum Ordinum Predicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diversas civitates & terras affirmare hætenus non erubuerunt, & quotidie predicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hereticos: ejusdem immaculate Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter...* Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac perversis assertionibus ac scandalosis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes... hujusmodi assertiones Predicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpotè falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros predictos id continentes, quoad hoc auctoritate apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus. Ac motu, scientia & auctoritate predictis statu-

mus & ordinamus, quod Predicatores verbi Dei & quicumque alii cujuscunque status, gradus, aut ordinis ac conditionis fuerint, de cetero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia & auctoritate similibus, simili poenæ ac censura subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia & apostolica Sede decisum.

In hac Constitutione, quam Sixtus manifestè edidit in favorem sententiæ defendentis immunem ab omni labe peccati Conceptionem, i. hanc sententiam commendat ex praxi Ecclesiæ Romanæ, in qua de immaculata Virginis Conceptione festum publicè & solemniter celebratur, & speciale ac proprium de eadem Conceptione officium recitatur.

2. Assertiones illas, nempe quòd hæreseos labe polluantur, vel peccent mortaliter, qui credunt, aut tenent B. Virginem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse; item quòd alicujus peccati reatum incurrant, qui celebrant officium Conceptionis, vel defendentium immaculatam B. Virginis Conceptionem sermones audiunt, ut falsas & erroneas & à veritate penitus alienas, unà cum libris in quibus continentur, damnat & reprobat.

3. Sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, & summo Pontifici reservatæ, prohibet omnibus, cujuscunque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, ne in posterum in publicis ad populum concionibus, aut aliis quomodolibet affirmet veras esse predictas assertiones, & libros illas continentes, ut veros legant, teneant vel habeant.

4. Sub eadem poenâ & censura prohibet iis, qui immaculatam B. Virginis Conceptionem defendunt, ne asserant contrariam opinionem tenentes, hæreticos esse, vel peccare mortaliter. Hujus autem secundæ prohibitionis, quod observandum est, motivum est, quòd nondum ab Ecclesia Romana & Sede Apostolica decisum sit B. Virginem sine peccati originalis labe conceptam fuisse, quod sanè nihil addit probabilitatis sententiæ neganti immaculatam B. Virginis Conceptionem, sed solum eam suæ probabilitati relinquit: motivum verò prioris prohibitionis est, quòd festum de immaculata B. Virginis Conceptione publicè & solemniter celebretur, & officium de eadem Conceptione speciale & proprium ordinatum sit ac recitetur in sancta Romana Ecclesia, quod sanè magnum momentum est pro sententiâ immaculatam B. Virginis Conceptionem defendente.

5. Denique, cum Sixtus hac sua Constitutione solum prohiberet, ne una pars alteram hæreseos vel peccati mortalis accusaret, poterat adhuc, ommissis ejusmodi censuris, utraque sententia non tantum privatum, sed etiam publicè defendi, sive in concionibus ad populum, sive in scholis.

Concilium Tridentinum sess. 5. in fine decreti de peccato originali, editas à Sixto IV. in favorem sententiæ immaculatam Virginis Conceptionem defendentis, Constitutiones innovavit, & observari jussit his verbis: *Declarat hac ipsa sancta Synodus non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicitis recordationis Sixti Pape IV. sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Porro hæc additio Concilii, quæ non legitur in multis editionibus factis ante annum 1564. quo finis Concilio feliciter imposuitur est, legitur in editione hoc anno facta, & in aliis omnibus, quæ postmodum factæ sunt ubique terrarum, nullis reclamantibus

Epil-